

ignotum, & præfectum seu quæstorem ærarii denotat, qui in Jure **ARCARIUS** vel **SUSCEPTOR** appellatur, *L. f. C. de Suscept. præpos. & arcar X. 70.* Ita Quæstor Sacri Palatii vocatur **THESAURARIUS FAMÆ PUBLICÆ**, ut legere est apud Cujacium suo tempore Aquilam Jctorum, ad *L. 2. de Petit. bon. sublat. X. 12.* Item **THESAURIENSIS** *L. 2. de palat. Sacrar. XII. 24.* vocatur autem ita quilibet officialis Comitum thesaurorum. Inde etiam derivatur, more Græcorum verbum **THESAURIZARE**, quod Scriptoribus Ecclesiasticis frequens est.

Th. 6.

Sed quia natura rerum ita est comparata, ut plura sint negotia, quam vocabula, *L. 4. de præsc. verb.* Ideo vocabulum **THESAURI** varie etiam sumitur, nam. 1. In sensu generalissimo acceptum, denotat quarumlibet rerum copiam, tam corporalium quam incorporalium, tam bonarum quam malarum. Ita dicitur thesaurus iræ, stupri, fraudis, hoc in sensu generalissimo multi eruditi Libros suos titulo **THESAURI** exornarunt, e. g. Georgius Barschanpius, Besoldus, Nizolius

lius